

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 3. An detur Gratia Sufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, &
facientibus quod in se est viribus Naturæ? Cum additione ex D. Angelico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

ter in Angelis non fuisse monstrosum, et si eorum vitio non fuerit sortiata effectum: idem ergo de nostra admittendum est, quia quantum est ex parte, & virtute gratiae, potest sequi effectus, & de facto alia gratia huic omnino similis actum bonum aliquando operatur. Monstrosa igitur tantum esset illa medicina, aut gratia, vicibus nullus absolute curari, aut inuari possit. Plura de hujus gratiae natura, necessitate, & distinctione à gratia efficaci, ex dicendis magis elucentur.

S. 3.

*An datur Gratia sufficiens omnibus, etiam obduratis,
excæcatis, & facientibus quod in se est
viribus naturæ?*

DE his quæstionibus variæ sunt Doctorum etiam Catholicorum sententiæ. Negat Arimensis, contra communiorum, dari gratiam sufficientem Infidelibus quibus Christus non innotuit, quales erant Philosophi gentiles, Plato, Aristoteles, &c. Quoad obduratos, Bellarminus, Suarez, Ripalda, Herice &c. asserunt hanc gratiam etiam concedi obduratis, & excæcatis. Infantibus sine Baptismo morientibus non tribui sufficientia remedia ad salutem docet Arimensis, Sotus, Vasquez, & quidam alij: affirmat Suarez, Lessius, Herice, & alij plures. Pro harum quæstionum resoluzione.

Dico primò, Datur omnibus auxilium aliquod sufficiens saltem ad non peccandum, dum actum peccaminosum formaliter exercent. Hæc thesis est certa, contra Calvinum, ac Lutherum:

R

nec

386 Pars 2. Controv. 5. De Gratia Sufficienti.
nec non adversus Jansenium lib. 3. de gratia
Christi cap. 13. qui id negat de infidelibus, ob-
cæcatis, pluribus Judæis, & aliquibus justis.

Probatur, Quia si homo, dum formaliter pec-
cat, careret omni auxilio sufficienti tam ordi-
nis naturalis, quam supernaturalis ad non pec-
candum, Deus præciperet illi rem impossibilem,
nempe servare præcepta quæ nequeunt sine
gratia sufficienti impleri. Atqui hoc repugnat
Tridentino Sess. 6. c. 11. Deus impossibilia non ju-
bet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere
quod non possis, & adjuvat ut possis. Hinc damnata
est Baij Prop. 64. Homo peccat etiam damnabiliter
in eo quod necessariò facit. De hac doctrina, quam
ipsum rationis dictamen aversari videtur, plura
diximus supra part. 1. tract. 2. contra proposi-
tionem primam ex 5. damnatis.

Dico secundò. Nulli adulto, etiam obdurato,
aut excæcato, statuit Deus denegare gratiam
sufficientem ad conversionem, & salutem; sed
paratus est eam omnibus dare, si vel ipsi, vel
alij ponerent eas circumstantias in quibus solet
Deus gratiam præbere, quales sunt prædicatio
Evangelij, exempla majorum, &c. Ita cum D.
Thoma docet Alensis, Sotus, Vega alijque: Con-
tra Medinam, Roffensem, & quosdam alios, qui
volunt Deum statuisse quibusdam, ob enormia
peccata, conversionis gratiam negare, sicut po-
terat illis in eo statu sine spe veniam au-
ferre.

Probatar nostra assertio. Quia Deus Scriptu-
ris passim, & sine exceptione invitat omnes pec-
catores ad pœnitentiam, ut Ezechielis 18. Nolo
mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat
Et 2. Petri c. 3. Nolens aliquos perire, sed omnes ad
pœnitentiam converti. Et de ipsis etiam in scelere
obdu-

obduratis id indicat Apostolus ad Rom. 2. afferens, *Divitias bonitatis Dei concedi iis, qui secundum duritatem, & impoenitens cor thesaurizant sibi iram in die ire.* Non esset satis sincera ista omnium invitatio, si Deus positivè decrevisset quibusdam gratiam ad paenitendum sufficientem denegare. Hinc Concil. Senonense in decreto fidei cap. 15. *Deus, inquit, semper in promptu est, & nec momentum preterit in quo non stet ad ostium, & pulsat.*

Nec refert quod Deus quovis instanti possit justè peccatorem, sine spe paenitentiae, ad barathrum disturbare. Quia quamdiu vult illum relinquere viatorem, & præceptis subiicere, statuit etiam illi dare auxilia sufficientia, ut possit reconciliari; alias ad hoc tantum viveret ut sine spe salutis possit sibi peccata, & paenas accumulare, in quo esset ipsis damnatis infelior.

Obiicies primò, Varia Scripturæ loca, in quibus dicuntur quidam esse à Deo excæcati, & obdurati, & dari in reprobum sensum, nec posse credere, aut sanari. Qao modo saepe etiam loquitur Augustinus, ideoque afferit Pharaoni obdurato peccatum non imputari.

Respondeo, hæc intelligenda de excæcatione, & obduratione tantum permisiva, & impossibilitate morali conversionis. Deus enim permittit aliquando magnos peccatores obdurari, & perire, non negando illis adjutorium sufficientium, se subtrahendo speciale auxilium cum quo prævidet ad paenitentiam movendos si illo instructi fuissent: item permittingdo aliquas peccandi occasiones, ac tentationes iis obvenire, cum quibus difficillima redditur eorum conversione sine majori gratia, quâ se indig nos reddiderunt. Et de hac majori, & efficaci gratia, non verò de sufficienti, intelligendus est S. Augustinus,

Obiicies secundò, Status obdurbationis in peccato, opponitur statui confirmationis in gratia. Atqui sic confirmari nequeunt peccare. Ergo consentaneum est ut obduri defectu gratia nequeant converti.

Respondeo, dissimulato antecedente, negando consequentiam : facilius enim Deus concedit favorem compatibilem cum libera tendentia ad gloriam, quam infligit paenam cum illa tendentia non consistentem. Satis itaque statui confirmationis opponitur status obdurbationis, per moralem impotentiam conversionis, quā obduri à spe gloriae multum removentur, et si non penitus excludantur.

Obiicies tertio, Peccatores multi, in paenam peccati admissi, à Deo subita morte puniuntur: imo aliquando in flaganti delicto dum peccant è vita abripiuntur. Atqui non apparet quomodo tunc paratus sit Deus his largiri sufficientem gratiam quā possint converti : Ergo ea aliquibus negatur.

Respondeo negando minorem. Nam cum istiusmodi obitu repentina bene consistet, quod Deus ex parte sua fuerit paratus suppeditare gratiam, si paenitendi occasio occurisset, v. g. aliquis peccatorem ante mortem admonisset, aut ipse de periculo mortis cogitasset priusquam ipso peccandi exercitio se constituit in illo statu, cum quo usus gratiae non consistit. Non enim dicimus quemlibet omni momento, dum dormit, aut nulla incidit salutaris cogitatio, gratiam proxime sufficientem in promptu habere, sed dum adest praesens occasio se determinandi ad bene aut male agendum.

Ex-

Extendi potest hæc doctrina ad Infantes sine Baptismo extictos , quibus Deus quantum est ex parte sua , prospectum cupit de Baptismo tanquam remedio ad salutem sufficienti. Afferit enim Apostolus 1. ad Timoth. 2. Deum velle omnes homines salvos fieri : & merita Christi ex parte sua , & in actu primo tam latè se extende re ad omnes salvandos , quam peccatum Adami ad omnes perdendos. Et quamvis non raro eveniat aliquos infantes interire absque Baptismo , id per accidens contingit , ex eo quod eorum parentes ad ea loca se contulerint , aut causas naturales aliqui liberè posuerint ex quibus infantes in lucem edi , aut certè Baptismus illis applicari non potuerit ; quorum libertatem ob alias causas contra cursum communem naturæ Deus impedire noluit. Quod non officit sincera voluntati quâ Deus ex parte sua media infantibus ad salutem necessaria præparavit , quæ hominibus ordinario modo applicanda corin fit ; sicuti sincerè cupit pauperi subvenire . qui eleemosynam famulo distribuendam tradit , licet hic pro sua libertate aliquibus eam elargiri prætermittat.

Dico tertio: Probabile est , homini facienti quod in se est viribus naturæ , Deum non dene gare gratiam primam , quâ possit credere , & salutem operari : modò per hoc non intelligas , operibus ex viribus solius naturæ factis per modum positivæ dispositionis , aut meriti , gratiam primam infallibiliter annexam esse , sed ex solo beneplacito Dei , decernentis omnibus obicem non ponentibus suam gratiam præbere. Est communior sententia Theologorum apud Suarez. 1. part. I. 2. de prædest. cap. 18. quam etiam docuerunt nonnulli Thomistæ , quamvis eam

R 3

cen-

390 Pars 2. Controv. 5. De Gratia Sufficienti.
censueret Alvarez de auxiliis disp. 56. n. 21. &
alios habeat adversarios.

Ratio præcipua est, quod id videatur congruum divinæ benignitati, quæ omnibus universim præparavit gratiam sufficientem, ut eam infallibiliter conferat singulis non ponentibus obicem. Cum enim Deus sæpe non deneget auxilia sua gentilibus, qui per continuata peccata se præbent positivè indignos isto beneficio, congruum est, ut eam gratiam iis conferat qui observando legem naturæ removent illud gratiæ impedimentum, & saltem se reddunt physicè capaces, ut commune illud Dei beneficium ad se extendatur: atque ita non desit ex parte Dei illustratio & auxilium supernaturale, quo saltem possint ad salutarem Dei notitiam, & inde ad salutem pervenire.

Dices, Huic doctrinæ repugnat Concil. Araucianum damnans Semipelagianos, quod afficerent initium fidei esse ex robis, sive ex bonis operibus viribus naturæ factis, quibus ad gratiam fidei percipiendam disponimur.

Respondeo, hanc doctrinam toto cælo à Semipelagianis distare. Docebant illi primò, nos per merita naturalia absolutè promereri primam gratiam ad credendum, hæc verò sententia id omnino pernegat, & gratiam, naturæ legem servantibus conferendam, non refundit in merita istorum operum, sed in meram Dei benignitatem. Secundò, afferebant Semipelagiani, solis habentibus merita naturalia lege ordinarià à Deo gratiam & quidem efficacem conferri, quod hæc opinio penitus abhorret. Unde perperam docebant illi, propter hujusmodi merita etiam conditionata infantes Baptizari, & alios ob eorum defectum Baptismi beneficio privari.

privari. Hæc igitur doctrina nullo istorum errore inficitur; nec aliud appetet quo minus possit inter opiniones in Scholis probabiles meritò reputari.

Ex quibus porrò facile est perspicere hanc opinionem non tantum ab errore, sed etiam à doctrina Semipelagianorum longissimè recedere. Et sanè quod supra in assertione probabile diximus, Deum sic facienti quod in se est, non denegare primam gratiam ad credendum, ipse Doctor Angelicus non probabile, sed certissimum dicere videtur, *De verit. quest. 14. de fide, a. 11. ad 1. his verbis*: Dicendum, quod non sequitur inconveniens, posito quod quilibet teneatur aliquid explicitè credere, si in sylvis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad ipsum dirigeret. Rursus, *in 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 4. ad 4.* Dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id, quod in naturali ratione est. Unde dicitur quod si aliquis in Barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud quod necessarium est ad salutem, vel inspirando, vel Doctorem mittendo: hactenus S. Doctor. De cetero, satis constat, quod ipsa conversio ad Deum quâ talis credere actu incipit, non sit jam ex viribus naturæ, sed ex Dei adjutorio supernaturali: ante conversionem vero ad primam

R 4

Dei

Dei notitiam & fidem supponitur habuisse adjutorium ordinis naturalis, ut indicant illa verba D. Thomæ : Si aliquis taliter nutritus (in sylvis) ductum naturalis rationis sequeretur, certissimè est tenendum &c. Id quoque ex sola Dei providentia & beneplacito fieri, homine infideli ex ductu rationis naturalis inspirationem fidei non impediente per sua peccata, conformiter ab initio diximus.

CONTROVERSIA SEXTA

De viribus Naturæ sine adjutorio
Gratiæ divinæ.

S. I.

*Quid posset homo præstare absque Gratia in servanda
lege naturæ, & tentatione superanda?*

Dico breviter primò : In natura lapsa sine gratia datur potentia physica servandi collectivè totam legem naturæ. Ita docent Ariaga, & plures alij. Quia etiam sepositâ gratiâ homo peccabit si violet legem naturæ. Atqui potentia peccandi includit potentiam faltem physicam non peccandi, nemo enim potest peccare in eo quod physicè nequit vitare.

Dico secundò, Homo tamen lapsus habet necessitatem moralem faltem ex parte violandi legem naturæ, si longo tempore ei desit gratia. Hæc est communis doctrina Theologorum, adeo ut opposita censeatur errori proxima.

Ratio desumitur ex eo, quod Concilia & Patres in illud Apostoli ad Rom. 7. *Infelix ego homo quis*